

tas constituere, illis Pallium præbere, & cætera ejusmodi præstare. Id insuper in primis viguisse favore jurium Patriarchalium, & Metropolitanorum Pontificis Romani, strenui contra abusum, qui irrepserant, jurium hujusmodi assertoris, qui irrepserant, jurium hujusmodi assertoris. Quod si ex Valentiniani beneficio Ravennas Episcopus Metropolitanum jus, & Pallium habuisset, Chalcedonensis Synodi Can. 12. vigore, retinuisset tantum quæ præterea tunc tunc, ut à Patribus cautum fuerat; ut certissimò constat, & post Chalcedonensem Synodum Episcopum Ravennatem metropolitanici juribus gavissimum. Non itaque vel ob Civitatis splendorem, vel Valentiniani beneficio, sed ex Romani Pontificis liberalitate fuerat ille, & jus, & Pallium Metropolitanam assuetudine.

XXIV. Sunt etiam, quæ clarissimè, & pressè id probent. Exercitium plenissimæ jurisdictionis, comminatio pœnarum, ac præcipuè auferendi Metropolitanicam potestatem interminatio, ejus sunt certè, qui Metropolitanæ potestatem concessit, & Pallium, per quod potestas ipsa significatur. Hæc autem clarè, disertisque verbis enunciata habemus in epistola Simplicii Summi Pontificis, quæ ad annum 482. pertinet contra Johannem Ravennatem Episcopum immediatum, ut quidem puto, Petri Chrysologi Successorem, qui Gregorium quandam invitum, Episcopum Mutinensem ordinaverat. Perpendantur ea præcipuè ejus epistole; nam privilegium meretur amittere, qui permittit sibi abutitur potestate. Et in fine; denunciamus autem, quòd si posthac quidquam tale præsumpseris, & aliquem sive Episcopum, sive Presbyterum, sive Diaconum invitum, fortè facere credideris, ordinationes tibi Ravennatis Ecclesiæ, vel Emilienfis noveris auferendas. Ita qui in Prædecessoribus suis dederat, minari poterat se ablatum, metropolitanicam potestatem; cæterum vanum terculamentum fuisset hæc minari, si quod auferret Pontifex, laica potestas restitueret potuisset. Certè evidens præstita à Pontifice Romano metropolitanicæ potestatis Ravennatibus argumentum habemus ex celeberrima illa Gelasii I. ad Episcopum Dardaniæ epistola, quæ in Labbeana collectione est 13. spectatque ad annum 495. Riffinus, ait Gelasius, quòd prærogativam volunt Acacio comparari quia Episcopus fuerit Regiæ Civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? numquidam harum Urbium Sacerdotes ultra mensuram sibi met antiquitas deputatam quippiam suis dignitatibus usurparunt? nam, ut infra idem Pontifex, alia potestas est rei secularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Hæc Sanctissimi Pontificis verba brevissimè sunt perpendenda. Certum est Ravennatum Antistitum Petrum Chrysologum omnium primum jura Metropolitanorum exercuisse. Sit tamen, ut quidem puto, postremis ejus vitæ annis id Johanni Angelopto Petri Prædecessori collatum. Ab eo tempore distetit Gelasius annis vix quinquaginta quinque. Si Valentinianus Galle Placidia Filius Ravennati Præsuli duodecim Civitatum Episcopos subjecisset, tradito Pallio, nec id ab ejus temporis Pontifice Romano obtentum fuisset, non ignoravisset Gelasius. Hæc itaque quæ magnæ laudi Ravennatibus eorum temporum Præsulibus sunt, scripta à Gelasio non fuissent, & exemplo Ravennatum tueri se potuisset Acacius, seu Acacii memoriam defendere potuissent, qui ejus defuncti partibus adharebant. Metropolim Civilem in novam formam Valentinianus constituerit Ravennam, id enim poterat; oraverit etiam Pontificem ut Metropolitanam jura, & Pallium conferret, privilegia

A etiam, & favores concesserit; id poterat, & fecisse non invidemus; at subicere Episcopos, qui ad Episcopi vel Romani, vel Mediolanensis Diocesis, & ad Occidentis Patriarchatum spectabant, & spirituales potestatem requirebant, Imperatoris minimè erat. Alia, rursus inculcari debet, potestas est rei secularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Nullus sane mentis plus fidei adhibebit Agnello schismati addicto, Scriptori noni sæculi inepto, quàm Summo Pontifici Canonum, & rerum peritissimo, & Valentiniani temporibus admodum proximo.

XXV. Superfluum, his omnibus probatis, erit quidquam addere contra Mauri temeritatem, qui in Occidente, & intra ipsos ferè Romanæ Dioceseos fines autocephalia tentare non erubuit, eo tempore, cum & ipsi Orientalis Ecclesiæ Exarchæ, qui à primis Apostolorum temporibus tales fuerant, jam demum alteri parebant. Quid, quòd omnium Prædecessorum suorum obedientia erga Romanum Pontificem, quæque Patrum suorum memoria Ravennates Episcopi subjectionis omnimodæ, & cum consecrarentur, & cum Pallium reciperent, & cum ad Synodum vocarentur, argumenta nota erant, ac in primis Gregorii Magni Acta, cuius nobis longius ab ea ætate distitis in ejus rei testimonium epistole superstitès leguntur? Nec ipse demum ignoraverat se, suamque Ecclesiam Romano Pontifici subicere, qui ab eo ordinatus, Pallio ornatus, exhibita, quæ tunc invaluerat cautionis, ut vocabant, formulæ, & ejus rei patens argumentum dederat, occasione Monothelitarum hæresis. At superbus homo, & subjectionis impatientis nactus tempora difficillima, & Imperatorem, & Exarcham omnium bipedum scelestissimos, artibus illis, quæ ejus moribus respondebant, contra jus, fasque se subducere tentavit à sui Patriarchæ ditione, indeque in horrendum schismatis crimen præcepit. Id unum ab Agnello in Mauri vita rite præstitum, ut ejusdem vastritiam, & avaritiam, seu patrimonii Siciliensis dilapidationem, non obscure indicaverit. At juvat concludere Bertherii doctissimis verbis Pitbanon Diatrib. 2. Taceo (ut verbum Anastasii in Dono usurpem) autocephalam indignum hercle facinus, & silentio æterno obruendum.

C XXXVI. His in antecessum præmissis salebrosa Agnelliani libri spatia tuto percurrat quisque. Tibi porro erudite Lector ea minimè scandalo fuissent; mei tamen officii esse censui non modo superiora præfari, sed & ubi aliquid minimè pium cubat, periculum indicare. Tu interim laborem meum æqui, bonique consulo, & antequam ad Agnellum accedas, seriem accipe Chronologicam Ravennatum Pontificum, quorum Acta Agnellus scripsit, uti à me in Dissertationibus restitui debere visum est. Vale.

SERIES PONTIFICUM

E S. Ravennatis Ecclesiæ, quorum Vitæ ab Agnello narrantur.

S Apollinaris ordinatus anno L. die 19. Junii. Martyrio coronatus anno LXXVIII. VII. Kal. Julii, postquam sedit annos XXVIII. Mens. 5. diebus 4.

- Aderitus.
- Eleucadius.
- Martianus.
- Calocerus.
- Proculus.
- Probus.
- Darbus.